



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Martyrivm S. Et Gloriosi Arethæ, & sociorum; & historia eorum, quæ tunc facta sunt in regione Homeritide, vel Sabæa: Ex ijs quæ Metaphrastes, exactè ac fidelissimè descripsit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

coronatum seruare, quam erga ipsos adhuc in
 terris degens declarasset. Ceterum anno Do-
 mini 937. fuere sacrae eius reliquiae per S. Bru-
 nonem Archiepiscopum Colonensem omni
 veneratione Coloniā translatae ac magna cū
 solemnitate in Ecclesia S. Cæciliae virginis re-
 conditæ.

*S. Brunonis
 huius vita
 habetur 11.
 Octobris.
 Translatio
 reliquiarum
 Euergisli
 Coloniæ.*

MARTYRIVM S. ET GLORIOSI ARE-
*tha, & sociorum; & historia eorum, qua tunc
 facta sunt in regione Homeritide, vel Sabæa: Ex
 his qua Metaphrastes, exactè ac fidelissimè de-
 scripsit.*

*Claret mira-
 culis post o-
 bitum.
 Vide Tom.
 7 Annal C.
 Baron.*

INSTABAT iam quintus annus, ex quo
 Iustinus Romani imperij sceptrā accepe-
 rat; quo quidē tempore Elesbaan, vir pro-
 per pietatem & iustitiam celeberrimus, AE-
 thiopibus imperabat, & in Auxumē ciuitate
 regiam construxerat. Porro Arabiam felicem
 (quæ olim Saba, nunc autem Homeritis voca-
 tur) ditione tenebat Dunaam Hebræus; vir cum
 impietate insignis, tum Christiano nomini in-
 fenissimus: & ea propter totis viribus Chri-
 stianam e sua ditione religionem pietatemque
 exterminare conabatur. Cuius quidem cona-
 tus impios Elesbaan frequenter bello infrege-
 rat, & fuso fugatoque eius exercitu, tributis eū
 seruire coegerat. Interim Hebræus simulato,
 pro temporis necessitate, ocio & pace, clām
 fulas denuō collegit vires, exercitumque in-
 struxit, vt & acceptæ cladis deleret ignominiā,
 & Christianos omnes vna internecione dele-
 ret. Nec frustratus est prospero perfidiæ suæ
 successu; nam & Christianorum præsidium,
 X 5 ab Eles-

*24. Octob.
 ra qui fuit
 Domini
 522.
 Elesbaan
 Imperator
 Aethiopum
 insigniter
 pius.
 Dunaan He-
 bræus Ara-
 biæ Imp. sce-
 leratus &
 impius.*

ab Elebsan in ditione sua relictum, ex insidijs oppressit: & cunctos ferè Christianæ pietatis cultores, animi illius sæuitiam formidantes, impio edicto parère coëgit. Vna tantum erat ciuitas, Nagran nomine, quæ Hebræi impietati fortiter resistebat: longo iam antè tempore, Constantij, magni Constantini filio studio & industria, ad veritatis agnitionem tradita, & religione ac fide Christiana adeo præclare imbuta, vt non modò omnes hostiles imperus repelleret, sed ne ad aures quidem aliena dogmata admitteret.

Nagran ciuitas egregiè Christiana.

Ea illorum ciuium virtute & cōstantia Hebræus irritatus, cinxit obsidione ciuitatem, & vallo fossaq̃ue circumdatam, nunc blanditijs, nunc minis in suam conatus est potestatem redigere. Ciues autem glorioso Crucis trophæo egregiè confisi, cunctas obsidionis molestias & extremam etiam dimicationem potius subire parati erant, quàm abnegato, per summū scelus, Christo, impio sese tyranno tradere. Obibat̃ quotidie execrandi satellites muros ciuitatis, audaci & sacrilego ore sacrosanctum Christi nomen contumelijs proscindentes, blasphemantesq̃ue; quòd Iesus nullam suis cultoribus opè ferre posset. Ipse quoq; Dunaan Iudaica perfidia insanus, gloriabundus se Christi sacerdotes monachosq; gladio & igne cōsumpsisse iactabat, neq; vllam eis à Christo in tantis calamitatibus opem præstitam esse mentiebatur. Cumq; ciues nihil ea impietate mori, Christo confidere, & certissimā ab eo cōsolationē expectare responderent, neq; fieri possent vt fideles eius, cælesti ope & auxilio destituerent.

Summa impietas Dunaan Hebræi, Hereticis haud obfimilis.

tur, tyrannus furore & amētia vexatus, cūctos qui in agris & suburbijis erant, Christianos collegit, eosque, spectante è muris populo, vel crudeliter interfecit, vel supplicijis varijs affectos post in seruitutem vendidit. Sed cum nec ea res inuictam ciuium virtutem quidquam frangere, imò illorum animos ad aspera quælibet, pro Christi nomine, toleranda magis acciperet, tyrannus omiffis belli consilijs, fraude doloque ciuitatem subuertere statuit. Igitur cum neque machinæ neque fames quidquā ad debilitandos ciuium animos promouerēt, Dunaan delendi nominis Christiani, per fas perque nefas, vehementer cupidus, vtrò pacis conditiones fraudulentò animo ciuitati obtulit, fingens scilicet, se non sinè maximo animi dolore tam præclaræ ciuitatis ciuiumque interitum, diutius ferre posse. Deindè terribilimimis iureiurando interposito, & cæli terræquo conditore in testem vocato, se non exitiū ciuitatis sed, salutem petere dixit: Christianā verò religionem saluam eis & integram relinquiturum, & nouis insuper ornamentis priuilegijisque decoraturum sponndit.

Hiscè conditionibus perfidæ pacis pij ciues persuasi, patentibus portis perfidū Hebræum, *Perfidia Hebrai.* tanquam lupum in stabulum, admiserunt, Ille vero lustrato vrbs statu & ciuiū virtute egregie collaudata, scelerata deindè mēte egressus est, grauia & atrocita in eos versans; iusiurandum, pacta, datamque fidem, puerilem esse deceptionem existimans.

Igitur cum iam iam eorū internecionem animo ac mente concepisset, plenus perfidia & scele-

scelere, primarios quoque per speciem honoris ex vrbe euocauit . Adfunt illi & opibus & gloria insignes: inter quos Arethas vrbis ipsius moderator, cæteris canitie, sapientia, & mori modestia præstantior, constitit; qui omnium nomine, Regi impio, & simulata pietate adhuc tecto, debitos deferebat honores, eum quibuscunque poterat obsequijs, ad datam fidem ciuibus seruandam, prouocans . At ille totus ex fraude & perfidia compositus, conditum diu venenum retinere non valens, protinus iussit cunctis iniici vincula, facultates eorum diripi, & Paulum vrbis antistitem diligenter inquiri. Cum autem duobus antè annis eum vita functum intelligeret, furore & amentia stimulatus, contendit ad puluerem, effossoque sepulchro, corpus illius comburi, cineresque in aère ventilare iussit . Deindè eodem furore agitatus, ingentem iubet accendi rogam; Parèe ministri eius imperio: Accenditur, congestis vndique lignis, pyra; fertur in sublime flamma; expectatur aliud tyranni mandatum, Quidam Christianorum trepidi pauidique in lacubris se abdunt; quidam fide & Christi amore acriter incensi, certamen cum tyranno subire parant. Lambebat interea cæli sidera vorax incendiij flamma, cum eccè nefarius & perfidus Rex omnes eius ciuitatis ac regionis sacerdotes, monachos, & Deo sacratas virgines, & foeminas insigni virtute & castimonia nitentes, victos adduci iubet . Ijs pro magna parte mediū adductis, Hebræus, Hi, inquit; sunt, qui cæteros suo exemplo & doctrina ad Christi cultum alliciunt . Ocius igitur eos in rogam

Vide immantem barbarum.

Exurit omnes sacerdotes, monachos, sacrasque virgines impius tyrannus.

præcipites date : & præconis voce, cæteris Christianis, eundem, ni resipiscant, interitum nunciate.

His ita constitutis, ipse Rex, caput vr̄bis A-
retham est aggressus ; nunc minis, nunc pro-
missis, nunc argumentis, eum eiusque sequaces
à Christi cultu auertere tentans. At egregius
planè Christi cultor, tyranni perfidiam impietatemque execratus, Quid, inquit, nos separabit à charitate Christi? Nos Christum Iesum à perfidis Iudæis in Crucem actum, vnum, & verum Deum, Dei que filium cõfitemur, & pro vniuersa ciuitate, alijsque Christianis nobis subiectis hanc facimus confessionem : parati nullum non tormenti genus pro illius nomine & honore subire.

*Aggreditur
Aretbam.*

*Constans A-
rethæ con-
fessio.*

Hebræus, hac loquãdi libertate ægrè adau-
res admissa, eum quidem cum socijs suis in
vinculis detinuit, moxque vindictæ cupidus
in aliam multitudinem, ex omni genere, & æ-
tate collectam mortis tulit sententiam: prima-
tum verò vxores liberosque antè oculos eorũ
adductos minis pariter ac promissis ad Christi
negationem prouocabat. Illæ autem virorum
exemplo ad constantiã animatæ perfidi Regis
imperium irridebant, & protensis in cælum
manibus Christi æterni Regis numè ad negle-
cti iurifurandi vltionè inuocabant. Qua earũ
virtute Dunaã prouocatus furoris sui habenas
laxauit, matrelq; familias cū monachis & vir-
ginibus gladio feriri mandauit. Ibi tunc vide-
re licebat admirandum & iucundum specta-
culum earum quæ pro Christi nomine decer-
tabant. Sanctæ enim mulieres simulac senten-
prope-

*Ingentis
multitudi-
nem, mortis
damnat He-
bræus.*

properabant. Eas verò monachæ impediabant
asserentes, iustum esse, eas quæ dignitate prio-
res erant etiam martyrij certamine antecedere
debere. Itaque magna & præclara erat inter
eas contentio, quænam hostem prius sterneret,
& gloriosa martyrij corona redimita ad cæ-
los migraret.

*Præclarum
facinus ma-
trone vidue
& duarum
filiarum eius.*

Inter ea certamina fortè foemina quædam
inter omnes genere, diuitijs, gloria, & pul-
chritudine præstantissima vidua, tyrannum
insectabatur. Erant ei duæ filia eximia pul-
chritudine virgines, quæ matrem ad marty-
rium euntem comitabantur. Tyrannus autem
eam cum honore ac reuerentia ad se adduci
præcepit: adductamque blanditijs ac promissis
à Christi confessione abducere conatus. Illa
verò constans animi, & promissionum Chri-
sti memor, tyranno respondebat egregiè, &
iusque impietatem multis arguebat; Deum
& creaturas omnes violati iurisiurandi vin-
dictam breui sumpturos asserens. Hæc aliaque
martyre dicente, Hebræus diutius loquen-
di libertatem generosæ foeminæ non ferēs, ab-
lata fictione eam ilicò discerpi iussit. Prima
autem filiarum eius annorum duodecim, cum
Regem audiret Christi nomen maledictis in-
sectari, sputum in faciem eius coniecit: vin-
dè ministri, tempori seruietes, ilicò eam fo-
roremque gladijs confoderūt, & profluentem
è vulneribus sanguinem matri libandum ob-
tulerunt. Illa verò sublatis ad cælum oculis
Tibi, inquit, ò Christe hoc meum offero sacri-
ficium; tibi castas virgines martyres exhibeo
dignare & me earum lociare consortio, & costis
de ma-

*Admiranda
planè ma-
trone vir-
gini.
Psalm. 111.*

de matrem filiarum lætantem. Rex autem gra-
uissimo ægritudinis animi stimulo sauciatus,
cum iam nullam victoriæ spem reliquam cer-
neret, Configite, inquit, & illam gladijs, ne
diuti⁹ regio diademati illudat. Hoc ergò beato
sine sanctissima martyr, post gloriosum filia-
rum triumphum, coronata est.

*Demum &
ip̄a trucidat̄.*

Sequenti autē die Aret has cum socijs nume-
ro trecentis & quadraginta ad certamē euoca-
t⁹ fuit. Venit ille incredibili alacritate, deuexa
planē atate vir (annum enim agebat nonagesi-
mum quintum) visu iucundus, & populo, cum
propter pietatem, tum eximiam, qua pollebat,
facūdiam valde gratus. Igitur vt antē tribunal
Regis adductus fuit, primò immensas Christo
gratias egit, quod eū honore martyrij, post tot
tantaq̄, quę in omni vita perceperat bona, dig-
naretur; deindē cōuersus ad plebē, quę pijs la-
chrymis ducē suum ac tanta grauitate virū, ad
certamen prosequeretur, multa ad eā de huius
vitę breuitate & ineuitabili mortis in humanū
genus imperio luculēter differuit: cunctosq̄ue
ardētibus oculis hortat⁹ est, vt libēter corpora
sua, breui alioquin interitura, pro Christi no-
mine & gloria, supplicijs tyranni offerret: cer-
ti æternam se in cęlis lætitiā & gloriam nul-
lo vnquam tempore finiendam recepturos.

*Actas Ar-
the admo-
dum denega
& præclarā
eius pro fide
certamen,
cum socijs
340.*

Hęc aliq̄; dicentē & pulchra oratione pro-
sequentē; Hebræus, postquā diu satis sustinui-
set, tandem cum asseclis omnibus capitis dam-
nauit: quam illi sententiam certatim ad torrē-
tem, quem Odias appellant, properātes exce-
perunt. Accidit autē tunc eodem in loco admi-
randum planē in puero spectaculum: qui præ-
sens

Mulieris cuiusdam & filij eius pueri egregia virum.

fens cum matre martyrū certamina contem-
plabatur. Mater enim cum esset egregiè Chri-
stiana, martyrij æmulatione accensa, citissimè
accurrens, martyris ipsius Arethæ cruore, se-
liumque perunxit. Deindè Regem tyrannidum
& perfidiæ incusans magna voce exclamavit
Erit Hebræorum Regi, sicut Pharaoni. Fuit il-
licò à satellitibus compræhensa & Regi obla-
ta: qui piam fœminam Christum præclarè cõ-
fitemem, Regisq̃ue blanditijs ac minis aures
occludentē ignis incendio condemnauit. Cõ-
geritur vndique ingens lignorum sarmentorū-
que materia; pix quoque & sulfure adduntur;
subditur ignis, flamma, non sine spectantium
horrore, in altum defertur: Puer interim solus
relictus matris absentiam magno eiulatu de-
plorabat, & æger animi huc illuc discurrebat,
amicissima lingua matrem iterato requirens.
Cumq̃ue reflexis in omnem partem oculis Re-
gem in excelsis sedentem solio conspiceret, fe-
stinus ad ipsum accurrens, prouoluit se ad pe-
des eius, totusq̃ue lachrymis perfusus, balbu-
tiente lingua (quinque enim annorum puer e-
rat) pro matre supplicabat. Rex autem eo ac-
cepto, genibusq̃ue imposito (erat enim scitus
admodum & elegans) rogabat quicum versari
mallet, & quem magis diligeret. Ille autem
ingeminatis vocibus matrem cum lachrymis
inclamabat. Nam propter eam, inquit, ad te
veni, vt soluatur, meque simul ad martyrium
assumat. Illa enim sæpè ad hoc me hortata est.

Nota quinque annorum pueri admirandam virtutem.

Attendens autem Rex verba pueri, Quid est hoc, inquit, quod dicis martyrium? Respondit puer: Pro Christo mori, & rursus viuere. Et

Res.

Rex, Quisnam est hic Christus? Puer autem: Veni huc, inquit, ad ecclesiam, & eum tibi ostendam. Inter hæc visa matre, incredibili fletu & eiulatu ad eam se deduci postulavit. Rex autem crepundijs & fructibus visu gustuque suavissimis, eius lachrymas & fletum extinguerenitebatur. Sed non poterat vllis manusculis pueri dolor leniri, nec eiulatus comprimi. Defixis enim in eam obrutibus nihil nisi matrem ingeminabat. Cùm verò cerneret eam in flammam iniici, totis visceribus inflammatus, acri dente Tyranni momordit femur. Rege verò illum abiciente pellenteque, cursu ad matrem contendit, & in medium ignem insiliens eam arctè est complexus, & sic demum in ipso complexu matris, extremum edens spiritum, pariter cū ea martyrij corona redimitus migravit ad cælos.

Interea Tyranno magis indies magisque in reliquum Christianorum vulgus sæuente, ecce tandem offensum Christi numen iram suam cælitus impio ostendit Hebræo, ut vel ad saniores rediens mentem misericordiam consequeretur, vel in furore persistens iustam scelerum suorum à Deo vindictam perciperet. Ingens enim diebus aliquot per aera discurrens ingenti exercitum terrore complebat: deinde, Tyranno ea signa parui pendente, pluuiæ instar in terram ruit, & magnam multorum animantium stragem edidit. Sed nec eo quidem terrore ad fidem pietatemque sceleratus impij Regis animus inflecti potuit: quin potius nouo accensus furore Christianis omnibus bellum indixit: & extremum exitum, alijs

Vindicta diuina in impium Hebræum Dauidem.

Y etiam

*Præclarus
exercitus
Elesbaan
Regis Aethy-
opii de 120.
millibus ar-
matorum &
130. nauium.*

*Elesbaan
egregia pie-
tas.*

*Consulit mo-
nachum quē-
dam Rex
Elesbaan.*

etiam principibus ad communionem nefarii sceleris concitatis, proposuit. Rebus igitur Christianorum hoc modo afflictis, & in vltimū penè discrimē adductis, Elesbaan Aethyopum Rex, paratus vel grassantem impietatem bello proffigare, vel glorioſæ morti pro Christi nomine constanter occumbere, nouum cōfestim instruxit exercitum, centum & viginti millium, nauiumque Indicarum 70. & è mercatorum nauigijs, quæ bello aptauit, sexaginta: magnum & præclarum militum robur, quo hostiles impetus facile proffigare posse, pestemque nefariam vno bello opprimere videbatur. Sed ne laudes vni Christo debita, ad mortales, viresque humanas transferretur, accidit, vt quædam militum pars per loca arida & transitu difficilia, ad partes magis Occidentales profectura, fame siti que conficeretur, foedeque periret. Id vero vbi Elesbaan qui tunc copijs naualibus aderat innotuit, re ipsa experiens quàm planè sit incertum acque vanum humano prorsus inniti auxilio, ad solū Christi opem supplex confugit, depositisque imperij insignibus & regio diademate, templum ingreditur, fusoque in conspectu Altissimi copioso lachrymarum imbre, multis corporis animique afflictionibus, quanto propaganda Christi gloriæ incensus esset ardore, egregiè testatus est.

Deindè concepta quadam diuinæ clemencie fiducia, è templo rectà ad monachum quendam insigni pietate & prudentia virum, qui annos quinque & quadraginta in angusta turricula, admiranda vitæ sanctitate, Deo militauerat, de bello,

bello, præliq; exitu sciscitaturus contēdit. Ab eo verò egregiè animatus, & de certissima hostiū victoria optimè sperare iussus, fidenter reliquas militum cōpias, in hostem duxit; multilque in locis fuis fugatisq; hostium phalangibus, non sinè ingenti miraculo vniuersas copias hostiles, ipsumq; Regem internecione deleuit: & nubilam Ecclesiæ faciem diuturno mœrore & lachrymis obscuratam mira serenitate illustrauit. His ità peractis diuinus Rex Elesbaan, vt dignas meritasq; Christo, pro tam insigni victoria, referret gratias, postquam cunctos è seruitute Christianos in libertatem asseruisset; & strata dirutaq; templa ac sacella erexisset; sumptibusq; regia magnificentia ac splendore dignis, exornâset; seipsum quoque Deo in holocaustum obtulit: ita planè, vt spreto diademate, opibusq; contemptis, in monasticam sese disciplinam tradiderit; sola que storea, & poculo ad suppellectilem; pane verò & aqua, atque oleribus ad vitæ sustentationem contentus, rigidam sanè & egregia virtute ac sanctitate conspicuam duxit vitâ: mundo deindè ignotus, at soli Christo cognitus; à quo æternæ retributionis mercedem securus expectabat.

Elesbaan Hebraum & vniuersas illius copias bello prostermit.

Rex Elesbaan fit monachus & rigidissimam ducit vitam.

VITA S. MAGLORII EPISCOPI DO-

Vide c. Baron. Notat. ad Martyr. Roman.

lenfis, in Britannia Minori: ex ea quæ est apud V. P. Lar. Surium. Claruit anno à partu virginis 620. &c.

S Maglori⁹ natione Anglus, patre Vmbra- selo, matre verò Affrella parētib⁹ generis nobilitate admodū claris prognat⁹,
Y 2 ab Hel-

24. Octob. Patria & parētes eius.